

Lunds U.

14.4.24

I. N. 3.

DISSE^RTAT^O ACADEMICA,
DE

VIRTUTE
NON
SENE^SCENTE,

QUAM,

Consens. Ampl. Facult. Phil. in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE
B I L M A R K ,

HISTOR. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.

Publico Examini subjicit

ALUMNUS REGIUS,

ANDREAS BERGMARK,

Westro-Gothus.

Die III. DECEMB. Anni MDCLXIII.

L. H. Q. A. M. C.

A B O Æ ,

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

NOBILISSIMO atque CONSULTISSIMO
D: NO GUSTAVO
I D M A N ,

Summi in Finlandia Dicasterii ADSESSORI Gravissimo,
MÆCENATI OPTIMO.

Magna TUA in me beneficia quoties in memoriam mihi revoco, toties de gratia reddenda sollicitus sum; at, cum officio, quod pietas mihi injungit, præstando me quavis occasione imparem sentiam, fortem meam haud parum doleo. Hæc vero meditanti in mentem non raro redit egregium illud Philosophi cuiusdam dictum: Beneficii qui meminit, jam gratiam retulit. Me vero meritorum TUORUM in me maximorum haud esse immemorem, neve eadem unquam obliturum fore, quas TIBI, MÆCENAS OPTIME, cernuus jam offero, studiorum meorum primiæ indicia erunt & certissima pignora. Benigna hæc fronte aspicias, nec mihi in posterum favere desistas. Mihi autem nihil prius erit, antiquius nihil, quam Summum Numen calidis fatigare precibus, velit TE, MÆCENAS OPTIME, atque omnes, qui TECUM sunt conjuncti, omni felicitatis genere mactatos, ad ultimos usque mortalitatis terminos nobis conservare. Sic votet

NOBILISSIMI atque CONSULTISSIMI DOMINI

humillimus cliens
ANDREAS BERGMARK,

AMPLISSIMO atque EXPERIENTISSIMO
D. N. DOCT. JOHANNI
L E C H E ,

Medicinæ PROFESSORI Regio & Ordinario,
Nec non
Reg. Academ. Scient. Holm. MEMBRO Dignissimo,
MÆCENATI INDULGENTISSIMO.

L is antiqua fuit, vigor an virtutibus idem,
Qui fuerat quondam, tempore & hocce foret.
Has tueor partes, nixus rationibus æquis,
Nec tamen exemplis pagina nostra caret.
TE reliquis addo, Parnassi Gloria nostri,
Namque Tuâ Virtus haud vetus alma magis.
Suscite, MÆCENAS, gratæ libamina mentis,
Quæ supplex tradit nostra Thalia TIBI.
Munera pro summis benefactis parva rependo;
At pondus pietas juncta que vota dabunt.
Vive diu felix, Naturæ Maxime Mystra,
Abdita cui clare facta videre datum est.
Nulla TUOS temerent unquam, rogo, damna Penates,
Usque TIBI Parcæ candida fila neant!

CELEBERRIMO NOMINI TUO

devotissimus cliens
ANDREAS BERGMARK.

Krono = Besällnings = Mannen ITEMA
Ådel och Högaktad,

Herr MÄRTEN LUNDÉN,
Min Högårade Käre Morbror,

Så ock
COMMINISTREN uti DARETORPS Församling/
Årewordige och Högwällarde,

Herr LARS BERGMARK,
Min Huldaste Fader!

Gintet en gammal wana, Eller et allmänt wedertagit bruk, utan en up-
riktig wördnad har föranlättat mig, at tilskriftwa Herr Morbror det-
ta mitt första Academiska Arbete, hvaruti jag idt kultasta de falska
grunder, hvaraf många föranlättas at tro, det Dygden nu aldeles afts-
git, och ej äger så många idkare i våra, som i våra Förfäders tider. Bör
jag få lycklig, at detta mitt wälmenta upåt med lika ömhet upptages, som
den är, hvarmed Herr Morbror alt ifrån barna-åren mig omfamnat; z
så fördels både min förra stora förbindelse, och jag upmuntras tillika, at
med innerliga böner anropa Allmagten om min Morbrors och Des Kära
Unhydrigas beständiga välgång.

Undteligen får jag åfven den fägnad, at en gång uppebarligen Be-
tyga min Huldaste Fader den wördnad, som alt hittils brunnit i mitt in-
nersta; men ej förr än nu fatt tjenligt tilfälle at utbryta. Jag wet nog-
saint, det Edra förtjenser enst mig tro vändelsen förr, än at deaf mig
skulle kunna upräknas, mycket mindre wärldigt prisas, och aldrarinfest we-
bergällas. Ty jag är, näst GUD, skyldig Eder mitt lif, mina framsteg
i Bokliga Konster och min lycka. Til ett ringa prof af min barnsliga til-
glifwenhet har jag dran, at min Huldaste Fader upoffra Försillingen af
mina Academiska Önsningar, med trågana fukar, at den Aldrahögste ännu
i långa tider wärdes bekrona Eder Alderdom med en fall lefnad, och sent
åtade bistra stjernor upga, som beboda mig saknaden af en så Huld Faders wärld.
Framhårdar med hjup wördnad

Min Herr Morbrors

Så ock

Min Huldaste B. Faders

Ödmjukaste tienare, same
lydigste son

ANDERS BERGMARK,



Virtus non computat annos.



I quem graviorem morbum aut ma-
jus vitium contraxerint parentes, non
raro contingit, ut liberi, qui ex illis
postea suscipiuntur, inisdem quoque la-
borent malis; quod quidem eo usque
valere experientia docet, ut impetuo-
sus majorum fervor in seris vix defervescat nepo-
tibus. Ex justissimis poenis, quæ propter temerari-
am Legis Divinæ transgressionem primis nostris pa-
rentibus fuerunt inflictæ, grave adeo acceperunt
vulnus, ut hujus cicatrix post tot seculorum decur-
sum in posteris illorum etiamnum recrudescat. Va-
letudinarius inde usque totus orbis factus est, in quo
tamen non decumbunt ægri, sed pro sanis ambu-
lant; immo licet malum hoc naturam nostram per-
quam corruperit, pauci tamen morbum suum vi-
dent, omnes amant. Culpa hac nostri pars nobilior,
animam intelligo, denso ignorantiae peplo fuit ob-
ducta. Hinc ratio, quæ donec integer esset homo,
A olym.

olympum microcosmi fulgidissimis illustrabat radiis, de insito fulgore ita postmodum defecit, ut crepuscula tantum ingravescerent, & eximia ejusdem perspicacia adeo obtusa facta est, ut quid verum, quid falsum, quid rectum aut iniquum sit, nonnisi difficulter adsequatur. His porro accessit, quod voluntas atque defectus, qui rationis decretis pridem obtemperaverant, in turbido hocce statu frena mordent, antiquam Dominam de gradu dejicere co[n]tentur, atque mandata ejus vel argute eludant vel arroganter detrectent, nec illam amplius sequi, sed secum trahere nitantur. Quantum denique corporis nostri machina, quæ interno hoc tumultu gravissime agitatur, subinde patiatur, & quantum cutpa primorum parentum sit luxata, tristis, sed fida, quemvis condocet experientia. Has autem pugnas atque hos defectus, quippe nemini nostrum ignotos, merito relinquimus, ne extra oleas vagari videamur. Enimvero sicut Medici est, non solum morbis mederi, sed etiam ex adcurata horum historia eruere, quinam morbi hoc vel illo tempore, heic vel alibi locorum fuerint epidemici, ut intelligat, an genus humanum ex pluribus nunc, quam olim, morborum examinibus laboret; ita quoq[ue] ingenuum decet Philosophum, non modo vitia hominum detegere, atque illis, quantum ipsorum permittat conditione, medelam adferre, verum curiositate & jucunda & utili inquiret, an vitiorum lues vel hodie latius serpserit, quam olim, vel gravius nos, quam majores nostros, adfligat. Arduum omnino hoc est neg-

negotium, quia hominum non unius ævi aut regionis, sed omnium seculorum & terrarum mores in censem venient; juvat tamen in argumento adeo nobili ingenii vires experiri, & quid in re tam ambigua statuendum sit, partim rationibus partim exemplis, ex Historia, ipsa prudentiae, ut quidam apud Græcos loquitur, metropoli, discernere.

§. 1.

Per *Virtutem* intelligimus habitum, actiones suas legibus vel Divinis naturalibus vel civilibus attemperandi (*). Ante vero, quam actio quædam virtutis nomine insigniri potest, requiritur in agente, (a) ut probe sciat, actionem legibus esse congruentem, (b) ut sponte sua, (γ) atque deliberato consilio ipsam suscepit, & (d) denique ut alacri animo ad ipsam sese accinxerit. Sicut autem non omnia possumus omnes; ita quoque in virtutibus diversi gradus sunt admittendi. Alii enim, dum bene secum habitant, placida sua se involvunt virtute,

A 2

(*) Hac fere ratione *Virtutem* plerique definient Philosophi. Hinc CICERO Libr. II. ac inventione Cap. 53: *Vires est habitus animi, rationi consentaneus. Cui pollicem premit SCHUBERTUS in Philos. Pract. § 225. Per virinem intelligimus habitum, actiones suas Legi natura attemperandi. Non tamen dissimilandum, quod nostra definitio latior sit, cum virtutes etiam politicas suo ambitu complectantur. Addo denique, quod virtutum conditionem vel aliqualem potius Historiam exposituri, illas non consideremus, quæ ingenium maxime exercent. Christianum, cum alias plane fori sit ista disquisitio,*

te, & innocent, quo fruuntur, otio raro egreduntur. Atii rursus, sicut non sār, sed aliorum causa nati videntur; ita in publicis commodis promovendis ætatem viresque consumunt. Longius adhuc progressiuntur Heroicæ animæ, quæ non solum aliis benefaciunt, verum insuper cum adversitatum procellæ undique mugiunt, & imminentia pericula exhorrescent ceteri, labenti reipublicæ moli firmos subdunt humeros, & frangi forte possunt, non flecti. Quamvis autem singuli horum suas mereantur adreas: maxime tamen commendari & debent & solent, qui in virtutis arduæ cultura reliquis antecellunt, nec ullis fortunæ calibus se de gradu dejici patiuntur.

§ II.

Nulli omnino dubitamus, quin dicam nobis scribant multi, quod vel in dubium vocare audeamus, virtutes senescere, nostroque ævo rariores esse, quam olim. Senes plerosque, quos ob variarum rerum peritiam, multo studio & longa experientia comparatam, veneramur, si consulamus, mox compriemus, quod si diversas admodum circa alias res foveant opiniones, in eotamen convenient, quod virtutes, in primis quibus generofæ distinguuntur mentes, ab iporum inde pueritia humana deditatae sint hospitia. Ut vero isthanc sententiam idoneis vindicent argumentis, non uno modo suos subducunt calculos. Alii enim ex variis Physicis mutationibus, quas vel legerunt, vel ipsi forte observarunt, integrum naturam debilitatam, nec eadē agendi vi nostro

nostro ævo, ac quondam, præditam esse colligant & pertinaciter urgent. Serpsit, ceu opinantur, late adeo hoc malum, ut non solum corpora nostra, sed etiam animas, illas virtutum officinas, vehementer corruperit. Alii, missa isthac controversia, de qua in utramque partem cum aliqua veri specie multa disputari possunt, ad experientiam, fidam priorum temporum magistrorum, configunt, quam senium virtutum exerto quasi digito monstrare contendunt. Ubinam, inquiunt, gentium, CYRI nunc reperitur magnanimitas, qui Regem Armeniæ, tributarium suum, sed nova molientem ad incitas redigit, redactumque beneficiis sibi ita devinxit, ut ab officio postmodum nunquam recesserit; qui porro non solum vitia quævis, verum etiam blandas horum dilecebras sollicite effugit? Abstinentiam quoque desiderant Aristidis, qui licet maximis functus fuisset muneribus, & totius ferme Græciæ redditus solus administrasset, in tanta tamen decepsit paupertate, ut quo efferretur, vix relinqueret. Nigros quoque facilius cygnos, quam homines, qui Socratis constantiam nostro ævo imitantur, reperiunt. Quamvis enim hic foris Hippiam & Gorgiam, Prodicum ac Polum, Thrasymachum & Protagoram, miserrima arrogantiæ mancipia, in theatro Aristophanem & domi Xantippen haberet, qui continua ipsum Iacecerent contumeliis, ne latum tamen unguem a virtutis tramite recessit. Nec satis admirari possunt generosum modestumque Agesilaum, qui partim imminentes victorias & speciosos triumphos parvi faciens,

ciens, maximam putavit gloriam, observantiam legibus patriis, licet ab honorum fastigio & a spe res maximas gerendi ipsum revocarent, præstare; parēim quoq; supra mortalium conditionem & anxie quæ sitam magnificentiam ita sese extulit, ut simplici vestitu contentus, Pharnabasum, pretiosissimis gemmis & lapidibus fulgentem, adeo confunderet, ut vana hic deponeret ornamenta, atque pacis conditiones, quas ex humili cæspite victor Spartanus dictabat, gratus reciperet. Cujus denique animus non pascitur modo, sed quasi saginatur, qui Camillos, qui Fabios, Fabricios, Curios, Scipiones aliosque id genus non tam hominum, quam virtutum legat nomina. Nec aliter fieri potuit, quam ut virtutes olim colerentur, siquidem constat, quod apud veteres, præcipue apud Persas, juvenes in Scholis publicis tirocinia virtutis, ut apud nos eruditionis documenta, posuerint. Alii denique, ut salivam nobis moveant, felicitatem & innocentiam aurei seculi, quo virtutes omnes sollicite cultæ, vigorem, nescio quem, habuerunt, impense celebrant (*a*); licet simul fateri cogantur, quod initium ac finem hujus ævi plane ignorent, & quod eximia hæc felicitas, si modo extra svavia Poëtarum figura uspiam exstiterit, statui integratatis, cujus creperam veteres habebant cognitionem, sit vindicanda.

§ III.

(*a*) Quare OVIDIUS Heroid. IV. 138 & 132.
Illa vetus pieca, aero moritum futuro,
Rufica Saturno regna tenente, fuit.

Hæc autem, quæ ab eruditis passim adferuntur argumenta, pro vindicanda virtutum defectione, adeo exigui momenti nobis videntur, ut nemini facile persuadeant. Si enim phænomena in mundo hoc obvia, lynceis quantumvis oculis lustremus, multas quidem variasque observare licet mutationes, quæ autem fatiscentes naturæ vires arguant, reperimus omnino nullas. Eadem quippe nunc observantur motus leges tam in corporibus terrestribus, quam in cælestibus, quas antiquissimi Philosophi utcunq; exposuerunt. Esto, quod corpora nonnulla cælestia visui nostro sese subduxerint, simul tamen concedendum, alia in eorum locum produisse; immo augurantur quidam, quod antiqua illa lumina, absoluто certo motu vel periodico vel vertiginis, oculos posteritatis iterum sint pascitura. Si porro plantas aut bruta animalia consideremus, non minorem in his vel vigorem vel fecunditatem nostro deprehendimus ævo, quam quibus olim fuerunt prædita. Ipsi denique homines si in censum veniant, quotidiana docet experientia, quod corpora nervosa & succipiēna, nec non ingentes animæ & que apud nos, ac quondam inter majores, reperiantur; immo, quod haud pauci eandem attingant ætatem ac mortales seculis, a diluvio mundi univeriali proximis, viventes (*a*). Concedo, quod molles & delicatuli haud pau-

(*a*) Bene igitur David HUME dans ses discours Politiques Tom. I. p. m. 181: A la fleur de l'age du Monde on a lieu de croire, dit on, que l'espèce humaine doit avoir plus de vigueur,

pauci inter nos sint, qui antiquum admodum desiderant robur; hoc autem vitium non tam naturæ, quam perversæ educationi, qua pueri a duris & necessariis sèpius arcentur laboribus, atque umbratili adsuescant vitæ, totum est tribuendum. Quamobrem etiam languor ille & pallor, qui in magnatum passim conspicitur palatiis, a fumosis rusticorum mapaliis ut plurimum exsulat.

§. IV.

Nihil omnino esse in rebus humanis firmum aut stabile, nedum perpetuum, ipsa omnium, quam illis expressit experientia, confessio docet. Id quod cum in aliis rebus certum est, tum certissimum, si imperia in orbe atque mores gentium consideremus (a). Docet scilicet Historia, quod gentes, quæ ab initio gravissimis obrutæ fuerunt vitiis, partim per idoneas leges, partim per præclaræ magnorum virorum ex-

empla

d' esprit & de corps, une santé plus ferme, un génie plus élevé, j' uis d'une vie plus longue, &c. Mais si le système général des choses d' ici bas, & le cours de la Société Humaine est sujet à ses sortes de révolutions graduelles, elles sont trop lentes pour être observées dans le court espace, que chaque Histoire ou Tradition embrasse. La nature & la force du corps, la durée de la vie, l'étendue du courage & de l'esprit semblent avoir été naturellement jusqu' aujourd'hui dans tous les siècles à peu près les mêmes.

(a) Quare etiam OVIDIUS Metamorph. L. XV: F. XLII:

• • • - sic omnia verti
Cernimus, atque illas assumere robora gentes,
Concidere bas - - - - - - - - - - -

empla & egregia Philosophorum præcepta, ita sensim fuerint politæ, ut pristinam exuerint barbariem, atque virtutibus aliquamdiu multam navaverint operam; postmodum autem aliis aliisque de caassis ex fastigio illo virtutum, in quo eminebant, defecerint, ad primas fôrdes reversæ, vel simulacra tantum virtutum amplexæ, donec ad ea tempora, quibus nec vitia nec remedia pati possent, esset perventum (b). Atque ex hac malorum lerna quædam nationes nunquam, aliæ autem sero nimis emerserunt. Græciæ conditio, qualis illa primis fuerit temporibus, si incensum veniat, facile deprehendimus, quod primi in colæ vi amegerint, brutorum sorte aut deteriorum, aut saltem non multo meliorem. Ut vero ex Ægypto, antiquissima Musarum patria, accesserat CECROPS Atheniensis, populum dispersum ac ferocem in unum coëgit, contiguous instituit habitationes, legibusque, quarum hactenus ignarifuerant populares ejus, ipsos asfecit. Quod vero primus hic Atheniensium Rex inchoaverat, ceteri, qui ipsum longa serie secuti sunt, Legislatores sedulo perfecerunt, tantumq; studio suo de egregiis moribus bene merendi efficerunt, ut Athenæ aliquamdiu Heroicarum virtutum patria fuerint habitæ. Verum nitidi hi soles paulo post occiderunt, atque Athenienses nec non reliqui Græci a virtutibus ad turpissima desciverunt vitia, quæ uno quasi istu ita illos oppresserunt, ut post tot seculo-

rum
B. supradicti
Greci

(b) Vid. LIVILLUM in Prefatione operis.

rum decursum nec caliginem dissipare, nec morum rubiginem excutere potuerint. Pari ratione quæ ex obscura latronum caterva emersit Romana civitas, quæque ab initio nihil nisi rapinas & bella spirabat, postmodum ferinam indolem ita exuit, ut cives ejusdem propter præclaras & imitatione dignas virtutes omnium ætatum admirationem meruerint. Postquam vero justitia & æquitate ad opulentiae & felicitatis apicem pervenerant, masculas illas virtutes sensim sunt obliti & in horrendorum vitiorum barathrum sese præcipitarunt, in somnum a vigilis, ab armis ad voluptates, atque a negotiis ad otium conversi, ut recte observat VELLÆJUS (c). Immotum scilicet manet, quod rerum necessiarum inopia pariat attentionem & circumspectionem, hæ producant virtutes atque industriam, ex quibus nascitur felicitas; qua autem cum impotenter utuntur mortales, animi solitores redduntur, ut modum facile excedant. Præclare igitur ex recentioribus quidam: La prosperité est aux Etats ce que la maturité aux fruits de la terre: Elle en annonce, elle en nécessite presque la putrefaction. La même action qui a changée la verdure en maturité, pousse celle-ci jusqu'à la pourriture. Antiquissimos denique Scythas, seu Gothos, ut alias gentes siccopræteram⁹ pede, propter virtutum studium, in quod ipsa natura ferri videbantur, ex TROGO Pompejo perquam celebrat JU. STINUS (d), urgetque, quod inculta horum barbaræ, ut tum temporis habebatur, cultos Græcorum

(c) Vid, Libr. II, circa inutum. (d) Confr, Libr. II, Cap. II.

rum mores collatione superaverit. Jure ne an immenso maiores nostros ita laudet hic Historicus, jam non disquirimus; proxime tamen ad veritatem accedere nobis videntur, qui monent, vitam veterum Hyperboreorum sub gentilismo magnis & virtutibus & vitiis fuisse distinctam (e). Mutata vero admodum fuit morum facies sub Papatu. Sicut enim suffitu, tintinnabulis, lustrali aqua, ferali murmure, candelis cereis, granis benedictis atque aliis id genus Aulæ Romanæ tesseris, bullatisque nugis DEUM admodum delectari docuerunt Myſtæ; ita ingravescens sic supersticio virtutes pæne omnes in exsilio pepulit. Eadem autem senio velut confectæ, exorta veræ Religionis luce, iterum juvenescere cœperunt, atque seculo Adolphino, sive placidas sive Heroicas spectemus, ita invaluerunt, ut exterorum meruerint admirationem. Ex his igitur, quæ in medium hactenus attulimus, satis constat superque, quod virtutes quoque, si regiones & temporum intervalla consideremus, suis gaudeant migrationibus, & modo in his, modo in dissitis maxime & alio quasi sole calentibus terris sese conspiciendas præbeant. His denique addo, quod licet instituta Politica ad qualitatem morum haud exiguum momenti conferant; attamen cum perversa admodum penitusque corru-

B 2 pta

(e) Quare ex nostris quidam: Svenska Folket under Hedendomen, ehuru æn grymt, var dock ærligt och troget; Ehuru æn hæmndgirigt, var likväl oföskräckt och ædelmodigt; ehuru æn fattig, var dock nögd och gifsnildt, se BIRGER JARLS leſverne p. m. 175 & 176.

pta sit semperque fuerit mortalium conditio, nec enim veterum præcordia ex meliori luto, quam nostra finxit Titan, Leges, quamvis optimæ, indolem hanc ita mutare nequeunt, quin ingenue fateri cogamur, nos homines esse & nihil humani a nobis alienum. Quid? quod eundem genium, quem majoribus hujus vel illius gentis proprium fuisse annales docent, in seris adhuc nepotibus post plurium seculorum decursum & gravissimas imperiorum mutationes superstitem micare obseruentus (f).

S. V.

Juvat nunc ad tempora, a nostra memoria remotissima, quæ ceu innocentiae specula multi exhibent, recurrere, paucis visuri, in quantum a vitiis, quibus nunc laboramus, veteres fuerint immunes. Difficile autem est, adcuratam temporum periodum ita adsequi, ut argumenta, ex Historiæ penu petita, haud eludere queant senescentis virtutis patroni. Quicquid

(f) Qui conque a tû Tacite & César, reconnoîtra encore les allemands, les François & les Anglois aux couleurs, dont ils les peignent: dixhuit siècles n'ont pu les effacer. Comment donc un Règne pourroit-il effectuer ce que tant de siècles n'ont pu faire? Un Statuaire peut tailler un morceau au bois dans la forme qui lui plait, il en fera un Esope, ou un Antinoüs, mais il ne changera jamais la nature du bois. . . . Les Souverains donneront un certain vernis de politesse à leurs Nations, ils maintiendront les loix dans leur vigueur & les sciences avec la mediocrité; mais ils n'altereront jamais l'essence des choses; ils n'ajoueront que quelque nuance passagère à la couleur dominante du tableau. Voy. Les Mémoires de Brandebourg Tom II, p. m. 60 & 61.

quid sit, placet historiam infantiae, ut ita dicam, mundi evolvere, & indolem primorum hominum (a), quantum antiquissima, quæ per temporum injuriam non perierunt, monumenta permittant, breviter striximusque percurrere. Contendunt igitur nonnulli, ambitionem & aliis imperandi cupiditatem primis mortalibus penitus ignotas fuisse. Verum quod toto aberrent cœlo & vana solummodo figmenta nobis obtrudant, Historia, quæ Martis alumnos, cædes & rapinas continuo spirantes, atque immensa imperiorum suorum pomœria non sine ultima tam civium, quam adjacentium populorum pernicie prorogare conantes, passim proponit, luculenter monstrat. Non equidem diffitemur, quod horum generis nostri flagellorum numerus non admodum magnus habeatur, sed hic defectus vastæ seculorum intercedendi, atque inde secutæ monumentorum penuriae erit tribuendus (b). Ex illis autem, quæ ad nos pervenerunt, laciniis, satis videre licet, quanta feritate primis temporibus bella gesserint Principes, quodque

B 3

jura

(a) Per primos homines illos hoc loco intelligimus, qui seculis a cataclysmo mundi universali proximis vixerunt. Est quidem sensus horum verborum ita improprius, sed qui tam haud ægre admitti potest, præsertim si consideremus, quod profani scriptores in annalibus suis conficiendis ultra hanc epocham non processerint. (b) HORAT. Lib. I. Sat. 3. v. 107 sequ.

Nam fuit ante Helenam
- - - - - Sed ignotis perierunt mortibus illis,
Quos Vencrem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior caedebat ut in grege taurus.

jura gentium, quæ in medio etiam armorum strepitu vigere debent, alto fastidiverint supercilios. Victor enim, sensu humanitatis velut exuto, furori & immanitatit tantum frena laxabat. *NINUS* Regem Babylonie tanto aggreditur successu, ut ipsum captivum duxerit. Victoria autem quam impotenter est usus? Et Regem & liberos ejus miserandum in modum trucidandos curavit. Eadem felicitate paulo post contra Medos usus, Regem ipsorum, *PHARNUM*, hujusque conjugem nec non septem liberos crucibus affigi jubet (c). Hem! quam fera innocentia.

S. IV.

Urgent præterea multi, quod primi homines, simplicitate sua contenti, luxum, &c., quæ hunc concomitantur, voluptates penitus ignoraverint. De luxu autem tenendum est, quod judicia nostra de eodem pro temporum & locorum varietate plerumque varient, adeo ut quod hac vel illa ætate ceu maximum luxus instrumentum habebatur, haud ita multo post nullam mereatur animadversionem (a). Fateor equidem, quod per ingravescensem luxumboni mores valde corrumpantur; quo autem pignore convincar, quod antiquissimi populi hujus ille
cebris

(c) Vid. *DIODOR. SIC. Libr. II. & P. Histoire Universelle Ec. Tom. III. p. m. 173.* (a) On ne fait pas aujourd'hui la moindre attention à une personne, qui porte des bas de soie. On regarde cependant comme une grande magnificence une paire de ces mêmes bas, qu'*HENRI Second porta aux noces de sa Soeur. Voy. L' Origine des Loix, des arts &c. Tom. II. p. m. 378.*

cebris rigide restiterint? Esto, quod magnificentia ilia atque exquisitus rerum quarumvis adparatus, qui nostro invaluit seculo, quique artibus ac industriae sua debet incunabula, olim rarer fuerit; rebus tamen probe pensitatis, deprehendimus, quod vetustissimi homines a vita commodioris ac nitidioris adminiculis, quoties occasio ita ferret, & conditiones illorum permetterent, non admodum abhorruerint. Profecto Eliezer Rebeccam Isaaco despensaturus, armillas, torques, inaures, nec non alia ex auro confecta ornamenta ipsi donavit. Nec ista ad mulieribrem tantum sexum, cujus præcipue curæ huc rediunt, ut propter formam & nitidas vestes commendentur, olim pertinebant. Constat enim, quod viri etiam annulos, armillas, aliosque id genus ornatus non omnino sint degignati (b). Porro qui aut horros peniles, quos præter cetera pomposa opera Babylone construendos curavit *SEMIRAMIS*, aut stupendas machinas, Regum pecuniae otiosam & stultam ostentationem, quas antiquissimi Ægyptiorum Principes exstruxerunt, attente consideraverit; næ ille fatebitur, genus humanum etiam tune temporis luxum deperiisse. Immo, si in hoc momento nobis inferiores fuerint veteres, quod nondum evictum putau-

(b) Gen. Cap. XXIV: 47 atque XLII: 41, 42. On il est dit, que Pharamon ôta son anneau de dessus sa main יְהוָה מֶלֶךְ יְהוּדָה qui le mit sur la main de Joseph יְהוָה אֱלֹהֵי יַעֲקֹב. Ce texte est d'autant plus positif, qu'il y a en Hebrew des termes propres pour signifier les doigts. Voy. Le Po CALMET ad Exod. III: 9.

putamus, hoc inde factum est, quod usum variarum rerum, quæ per longinqua acquiruntur commercia & per crescentem quotidie industriam perficiuntur, sibi non habuerint perspectum. Meo denique iudicio tantam non meretur laudem Irus, si nec purpureis incedat vestibus, nec palatia, auro luxuriantia, habitet, cum necessitatis telo ab his arceatur, quanta ille dignus est, qui in rerum omnium adfluentia iudicera hæc & speciosa despicit. Atque idem de antiquissimis censo hominibus, quippe qui non virtutis amore, nec voluptatum horrore obseuram & saepe sordidam degerunt vitam, sed industriae fructus ignorantes, simplicitate sua se involverunt.

§. VII.

Quamvis autem primi mortalium sordidis plerique sese abdiderint mapaliis & ferinis induiti pelibus non raro incesserint, atque utensilia, quibus hodie fruimur, pleraque ignoraverint; inde tamen non consequitur, quod quantum curarum corporis commoditatibus fuerit subtractum, tantum animæ culturæ sit impensum, aut quod in præclararum virtutum exercitium toti olim incubuerint. Contra eæ testantur annales, quod vitia quævis, quæ humani genus minime decent, ut perfidia, invidia, onus, incestus denique & cædes valde apud ipsos invaliduerint. Nolo cineres illorum populorum, quos propter belluinam fere vivendi rationem igne penitus deletos fuisse, Historia Sacra docet, jam suscipere; ne monstra tantum vitiorum sectari videar.

Non

Non tamen sicco est prætereundum pede, quod perfidia filiorum Jacobi Patriarchæ ne ullis quidem coloribus ita incrustari queat, ut excusationem mereatur. Scilicet Princeps Sichemensis sororem ipsorum Dinam deperit, hujusque familiaritate temere abutitur. Verum sicut impenie ipsam amabat; ira eandem matrimonio secum jungere cupiebat. Amicitiam igitur fratrum ejus ad sensumque sollicitat, qui fidem faciunt, quod si ipse sacris illorum se & omnes cives iniciari patretur, nullius rei repulsa a se esset laturus. Cumque nec hanc conditionem facilis & amabilis Princeps adspernabatur, Filii Jacobi religioni sibi non duxerunt, sanctissimo, horreo dicere, sacramento in hujus & omnium civium internectionem immaniter abuti. Dic autem, quæso, an secula, quæ propter corruptos mores & vitiorum portenta exhorrescimus, flagitium quodam hoc ipso detestabilius producant? Taceo Esavum Jacobo fratri insidias struxisse, Labanum saepius generum suum sefelliisse; taceo Rubeni incestum cum Patris uxore, & duritatem Jacobidum, qui Josephum, nondum ephebum, exoticis vendiderunt mercatoribus. Ex quibus omnibus colligo, quod, cum in tam angusto hominum circo, cui oracula sua credidisset Superum Numen, tot vitiorum mancipia fuerint reperta, haud meliores, mores exspectari potuerint a gentibus, tantis virtutum adminiculis penitus destitutis. Convenient igitur in eo passim Auctores, quod primi homines sine disciplina atque artibus vitam degerint, præcipites ruentes, quo affectuum ferocissimum impetu abriperentur. Immo vitiorum agmina

C

civi-

civitates fere omnes adeo olim invaserant, ut inter gentiles, o! miseriam, ne Deos quidem sui similes, hoc est, honestos atque probos reperire liceret (a). Quamobrem multi, figuris Poëtarum capti, faciles credebat, Saturnum de augusta sede patrem deturbasse, nec non Jovem nefariis artibus patris Saturni folio fuisse potitum. Si denique illorum Heroum vitam, quos adeo celebravit antiquitas, ut in Deorum numerum ipsos referre non dubitaverit, ad virtutum cynosuram examinemus; facile deprehendemus, quod licet egregiis atque excelsam indolem prudentibus facinoribus inclauerint, gravissimis tamen vitiis iterum iterumque succubuerint (b). Scilicet magni quidem fuerunt, sed homines tamen. Quantis & quam tetricis vitiorum maculis amplissimam rerum gestarum gloriam obscuraverint *NINUS* & *SEMIRAMIS*, qui inter antiquissimos Principes locum sibi facile primum vindicant, vetustissima monumenta satis indicant superque (c). Nec quemquam fugit, quod *TYPHON* fratrem *OSIRIDEM*, Ægypti Regem & de hoc imperio praecellere meritum, structis insidiis e medio sustulerit; ut sexcenta alia ejusmodi exempla sicco prætereamus pede.

§. VIII.

(a) Gravi igitur hos censura perstringit *ARNOBII* Libr. V. p. m. 177: Hoscene nobis Deos importatis, insinuatis, infligitis, quorum similes nec vos esse, nec aliud velitis quemquam sanguinis vobis gradu aut jure familiaritatis adjunctum?

(b) Confr. *SANCHONIAT.* apud *EUSEBIUM* in *Præparat. Evang.* Libr. I. Cap. 10. p. 34. 35 &c. (c) Vid. *DIODOR. SIC.* Lib. II p. m. 114, 117, 127 atque *JUSTINUM* Lib. I. Cap. 2.

Et qui modo hospes erat, monstrator hospitii, vid. TACIT. de Moribus German. nec non JUL. CÆSAR, de Bello Gallico Libr. VI.

Superest adhuc, ut de hospitalitate, quam ceu virtutem veteribus propriam, nostris autem hominibus ignotam fere & ab illis neglectam, exhibent multi, sententiam nostram paucis aperiamus. Sicut igitur diffiteri nequit, quin antiquissimi populi hanc frequenter & liberaliter exercuerint; ita simul concedendum, quod non tam sensu virtutis aut teneroris cuiusdam amicitiae, qua de genere humano bene mereri cuperent, vinculo, quam jure potius quodam gentium obstricti, in hac olim colenda curas suas posuerint. Lætis enim peregrinatores excipiebant hospitiis, ipsorum commodis, quamdiu communibus utebantur laribus, magnopere inserviebant, & cum facultates ipsorum tantis impensis non amplius sufficienter, ad nova illos deduxerunt diverticula (a); haec tamen eum in finem siebant, ut si quando vel ipsi vel liberi ipsorum longinus ejusmodi itineribus sese accingerent, alibi locorum invenirent homines, qui victus & amictus illorum rationem haberent. Introductis autem & promotis commerciis, arque frequentibus sic institutis peregrinationibus, hospitalitas, quæ non potuit non oneri esse, sensim in desverudinem abiit. Quæ omnia longe aliter antiquissimis fuerunt temporibus, cum plerique laribus paternis velut affixi, limitibus soli natalis ratiomime egredierentur. Verum quod palmarium in præ-

C 2

(a) Et qui modo hospes erat, monstrator hospitii, vid. TACIT. de Moribus German. nec non JUL. CÆSAR, de Bello Gallico Libr. VI.

fenti censemus negotio, est, quod ex hospitalitate, quamvis sedulo culta, integritas animi atque morum rectitudo minime colligi queant; cum experientia a fatim doceat, quod populi, qui maxime hospitales habentur, vitiis simui quibusvis, eisdemque gravissimis, non rara præbeant hospitia (b). Quis enim nescit, quod Arabes etiamnum, natio rapinis ac cædibus tota intentra, bonos vero mores exosa, advenis tamen hospitia frequenter indulgeat.

§. IX.

De defunctis non nisi bene loquendum esse, causa censuit antiquitas; quem tamen canonem, ne veritati vis inferatur, sic mutatum volumus, ut de illis non nisi vera dicamus. Prodeant igitur in scenam & marcidae tymbis extollant capita **PERICLES, ARISTIDES, LYCURGI, SOCRATES, SCIPIOES, FABII, CATULLI** aliique Heroës, quos ceu nitidissima virtutum exempla nobis proponunt, qui senescenrem virtutem ad nauseam usque crepant, & ne ipsi quidem diffitebuntur, vitam suam virtutibus atque vitiis distinctam fuisse. De Pericle enim constat, quod Athenas augustis templis, spaciousissimis theatris, statuis affabre elaboratis nec non magnificis ornaverit ædibus; an vero tanto adparatu unum civem meliorem reddiderit, non æque patet. Contra ea notum est, quod luxum & impense amaverit & in civitatem introduxerit, atque ita singulis

vitiis

(b) L' Hospitalité très rare dans les pays de commerce, se trouve admirablement parmi les peuples brigands, MONTESQUEU L'Ebris des loix Tom. II, p. m. 239.

vitiis, quæ hunc comitari solent, portam aperuerit; immo ut hæc ingravescerent licentius, Areopagum, ultimum ac firmissimum virtutum præsidium, sustulerit (a). Qualem vitam degerit adolescens **SOCRATES** qui Oraculi Delphici, ut ferunt (b), judicio *ἀρετὴν οὐθέατον αἰσθάνεται* est habitus, quique primus Philosophiam de cœlo devocavit, ut magnifice de eo prædicat **CICERO** (c), annales satis produnt. Scilicet juvenis libidini maxime indulxit, atque licet deinceps unam, ut quidam referunt (d), sed ut alii opinantur (e) duæ duxerit uxores, æstus tamen sui levamenta aliis modis ipsum quæsivisse, haud obscure indicat **ATHEONÆUS** (f), quam maculam nec Plato (g) nec Xenophon (h) penitus abstergere potuerunt. Vicit tamen partim Zopyri admonitionibus, partim Philosophiae præceptis perversam suam indolem, tantamque subiit metamorphosin, ut cum Magistro postmodum dicere potuerit: *Ego, non sum Ego.* **SCIPIOES** quoque, illud Africæ fulmen, quem in virtutum studio & rerum gestarum gloria eminuisse constat, propter solutionem vitam primis adolescentiæ annis male audivisse, passim referunt scriptores. Sicut Q. Fabius Maximus,

C 3

(a) Vid. du TEMPLE Histoire de la Grèce Tom. I. p. m. 149.
 (b) Vid. DIOGEN. Laërt. Libr. II. D. V. Phil. (c) Vid. Quæst. Tuscul. Libr. V. n. 10. (d) Vid. LAERTIUM Segm. 26. (e) Vid. Auctores ab Atheneo Libr. XIII. p. 556. citatos, quibus adde CHARPENTIER dans la vie de Socrate p. 24, qui multa lectu dignissima sedulo collegit. (f) Confr. Libr. XIV, nec non ÆLIANI Variar. Histor. Libr. XI Cap. 12. (g) In apologiis Socrat. Libr. V. p. m. 219. (h) Sympof. p. 692,

ximus, qui Gallica victoria nomen Allobrogici fibi-
met ac posteris peperit, ineunte ætate nullis non vi-
tiis fuit deditus; ita eundem senem virtutibus nemo
facile superavit. Immo *CATULLUS*, cuius merita usque
adeo suspexerunt Romani, ut non solum Patrem Pa-
triæ ipsum nuncupaverint, sed etiam nomen ejus Ca-
pitolino inscriperint fastigio, primos adolescentiæ an-
nos non ita transegit, ut vel amicis vel civibus pro-
baretur. Lycурgo & Aristidi pares, quod in præ-
senti negotio sufficit, intra adjungemus. Hisce au-
tem in medium jam allatis, tantorum virorum vir-
tutibus nihil omnino detractum volumus; cum singula
huc collineant, ut ostendamus, quod maximi Heroës,
orbis miracula & generis nostri deliciæ, suos quoque
subinde passi sint manes.

§ X:

Cum igitur ab hominibus, quos demum cunque
consideremus nihil omnino humani alienum esse depre-
hendamus; multi procul dubio admirabuntur, cur ve-
teribus tot tamque eximiae, saepe præter meritum,
tribuantur perfectiones. Hujus autem rei variæ dantur
causæ, quas ut paucis excutiamus, instituti ratio nunc
postulat. Primo igitur tenendum, quod pleræque sen-
tentiae de humana indole respectum quendam ad nos
habeant, atque eandem, quam conditio nostra, sub-
eant mutationem; quamobrem etiam fit, ut quæ in
flore ætatis nobis perquam arriserunt, variisque no-
vis peperunt delicias, eadem nobis ephebis minus pla-
ceant, & tandem, ingravescente ætate, ægre non ra-
ro ferantur. Quocirca, cum ineunte ætate in æquali-
bus

bus parem, qua pectus nostrum micat, innocentiam
deprehendere, in juvenibus autem & senibus partim
ingenuam alacritatem partim eximiam gravitatem re-
perire nobis videatur, sine ulteriori examine, quod
puerilis ætas libenter subterfugit, oppido colligimus,
homines, quod tales apparent, optimæ indolis singu-
los esse. Labuntur interea anni, studiisque exercetur
ac formatur judicium nostrum; quo facto, larva il-
la innocentia, quæ nobis quondam imposuerat, sen-
sim evanescit: sique atras vitiorum maculas, quales
antea ignorabamus, in candidis etiam pectoribus ob-
servamus. Hinc multi indignantur, & præcipitanter nimis
colligunt, naturam humanam paucis annis ingentem
subiisse mutationem. Qui tamen si eodem modo de
rebus obviis judicascent, ac nondum ephebi suos le-
viter subduxerant calculos, nulli dubitamus, quin eo-
dem omnia fluere tenore, easdemque in hominibus
nostris deprehenderent virtutes, quas in illis pridem
suspexerant, quos canities reddidit venerabiles. Præ-
ter hæc quotidiana affatim docet experientia, quod
quæ præsentia admodum difformia apparent, eadem
si a nobis aliquantum removeantur, & e longinquò
conspiciantur, mira elegantia & concinna partium a-
ptitudine sese commendent. Paria enim experiuntur
fata, ac statua Minervæ a Phidia olim confecta, quæ
cum in solo consisteret, ut ab omnibus commode tangi
posset, adeo parum ingeniosis probata fuit Athenien-
sibus, ut ab omnibus, ceu deformis exploderetur; lo-
co autem elevato & convenienti, monente artifice, col-
locata, tanta fulsit majestate, ut obrectatores etiam

ejus valde confunderet. Simili prorsus ratione vasta illa temporum atque locorum intercapedo, quæ nos inter ac vetustissimos intercedit homines, efficit, ut naves & vitia illorum non videamus; quamobrem et jam illis virtutes tantum non omnes indulgenter nimis tribuimus (a). Profecto si ætas magnorum illorum Heroum, quorum vita, seu optima morum magistra, proponi solet, in nostra incidunt tempora; inter nos, si non multos, quosdam tamen horum similes reperiremus. Absit jactantia, facessantque præjudicia, sic ingenuus quisque farebitur, quod quam in Aristide passim prædicant Historici abstinentiam, justitiam & integritatem, in Lycurgo atque Solone prudentiam in civitatibus constituendis, in Agesilao magnanimitatem & fortitudinem, & in Phocione constantiam, eas quoq; virtutes hisce seculis in GUSTAVIS, CAROLIS, FRIDERICIS, in OXENSTIERNIS, PENIS (b) & MONTESQUIEUX, in TURENNIS (c), VACQUERIIS (d) aliisq; eximiis viris

(e)

(a) Hinc PROPERTIUS Libr. III. El. I.

Omnia post obitum singit majora vetustas,

Majus ab exequiis nomen in ore venit.

(b) M:t PEN est un véritable Lycurgue; & quoique le premier ait eu la paix pour l'objet, comme l'Autre a eu la guerre, ils se ressemblent dans la voie singulière, où ils ont mis leurs peuples, dans l'adscendant, qu'ils ont eu sur des hommes libres, dans les préjugés qu'ils ont vaincus & dans les passions qu'ils ont soumises. MONTESQUIEU Loc. cit. Tom. I. p. m. 66. (c) En quanta modestia illustris hicce Heros speciosam a se reportatam victoriam indicat: Les ennemis sont venus nous attaquer; nous les avons battu; Dieu en soit loué; j'ai eu un peu de peine; je vous souhaite le bon soir; je me

(e) haud operose animadvertisamus, in quibus non minus, quam in illis natura, quid efficere possit, videtur experta. Ulterius quemadmodum inter cæcos regnat monoculus, & in spissa caligine putrida etiam ligna ignis jubar imitantur; ita quoque antiquissimis temporibus, quibus orbis morum barbarie & ignorantiae tenebris premebatur, minora et jam lumina, quæ passim, sed raro, emicuerunt, animos oculosque civium vehementer ceperunt: qui tamen viri, si in nostra versati fuissent luce, adeo de splendore suo remisissent, ut vix adparuisserent, non aliter ac stellæ, quæ illuni nocte clare scintillant, adveniente sole conspectu nostro sese sensim subducunt. Denique si sola antiquitas honestatem atque auctoritatem adderet, mala etjam omnia post certum tempus pro bonis agnoscerentur. Nihil e-

D

nim

mets dans mon lit. Voy. CHOIX LITIER. Tom. II. p. 125. (d) JEAN de la VACQUERIE, Premier Président du Parlement de Paris, mourut plus riche d'honneur & de réputation, que de biens de fortune. Car ayant délaissé trois filles, hérétiques seulement de ses vertus, Le Roi LOUIS XI, Son Maître, pour reconnaissance des services, qu'il lui avoit rendu, pris le soin de les marier selon leur condition & de ses propres deniers. Voy. ROLLIN Traité des Etudes Tom. III. p. m. 19. (e) Ecce liberalitatis præclarum exemplum: Un homme de qualité d'une province de France donna pendant la disette de 177 le pain & le couvert dans ses granges à mille pauvres durant 6 mois. Allez mes enfans, dit il, à la St. Jean, allez tauber a'en gagner. Je vais en ramasser pour l'année prochaine, si la disette dure. Voy. L'Ami des Hommes Tom. I. p. m. 106.

nim ad hæc inter delicias antiquitatis habetur, quod non olim fuit novum, & quicquid jam ut novum spernitur, commendationem etiam aliquando sperare potest, & animos posteriorum non minorivoluptate afficere.

§. XI.

Qui virtutem senescere, iterum iterumque crepant, in robur sententiæ suæ varia, a sua in primis experientia desumunt argumenta, quæ tamen si ad vivum resecentur, non tam virtutum decrementa, quam potius historiam mutationis, ut supra monimus, vel corporis vel conditionis ipsorum nobis proponunt. Testes sunt acutissimi Scriptores, qui, dum fortuna illis prolixe indulxit, virtutum vestigia, quæ in mundo deprehenderent, scriptis suis alte impresserunt, de vitiis parcus locuti; ingra- vescentibus autem partim senectutis ærumnis, par- tim invidiæ procellis, quas propria non raro culpa in se concitarunt, vitiorum agmina ubique locorum & in hominibus tantum non omnibus queruli invenerunt. Hujus rei cum plura adferri possent exempla, tum unico erimus contenti, ne in nimi- am magnitudinem excrescat specimen hocce Academicum. Edidit igitur haud ita pridem Celebris ille Scriptor de VOLTAIRE schediasma quoddam, lingua Gallica exaratum, quod *Candide ou sur l'Optimisme* inscribitur, in quo omnem movet lapidem, ut ostendat pravitatem morum nostro seculo inva- lescentem. Utrum ingeniosa hac fictione ad ipso- rum emendationem quid contulerit, aliorum esto judicium. In rem præsentem observamus, quod a-

cu.

cutissimus hic Auctor, dum in flore ætatis esset con- stitutus, atque potentissimorum Regum ac Princi- pum palatiis exceptus, intima eorum frueretur fa- miliaritate, dogma de mundo optimo non minori argumentorum apparatu defenderit, ac quisquam aliis, qui ex schola WOLFII prodiit. Idem autem virtutibus eminens intellectualibus, sed cunctis fe- re moralibus destitutus, tales honoris gradum nul- libi locorum diu tenuit; de ipso igitur dejectus, causas molestiarum, quas ætate proiectus ferret, in perversum hunc mundum, non in temerariam vivendi rationem conjectit. Sed de hoc satis: nec enim nostrum jam est exponere, quomodo propter hæc & alia molimina in justam Eruditorum censuram incurre- rit Celebris his Auctor.

§. XII.

Antequam opellæ nostræ finem imponimus, ingenue profitemur, quod, ut his in medium jam allatis, nihil veterum meritis derogatum, ita nec perversos seculi nostri mores, quorum emendatio- nem ex animo vovemus, immeritis coloribus in- crustatos velimus. Ostendere saltem sumus conati, quod immane quantum errant, quotquot vel na- turam humanam olim vegetam, sed vergentibus hisce seculis admodum debilitatam, vel indolem ge- neris nostri olim erectam ac liberalem, sed jam vir- tutibus exercendis minus aptam esse, adserere non dubitant; sicque sicutineas quærunt rationes, quibus vel sua utcunque pallient vitia, vel æqualium su- gillent merita. Desinant igitur hi ardentes, qui

D 2

præ-

præclarus, quam par erat, de gentibus jūdicarunt,
 atque cum religionem tum virtutes ipsorum liberaliter
 nimis prædicarunt, suis lucubrationibus, quibus negli-
 gentiam & veræ religionis & bonorum morum intro-
 ducent, orbem obscurare. Cessent etjant felicitatem &
 innocentiam priorum temporum iterum iterumq; cre-
 pare; satis enim persuasi sumus, quod, omnibus probe
 pensitatis, ne hi quidem optarent ætatem suam in præ-
 terita, quæ adeo celebrant tempora incidiisse. Verum
 vivitur ita nunc; vixerunt ita majores nostri.

Laudamus veteres, Sed nostris utimur annis.
 OVID. Fast. I. 225.

Eruditissimo Domino AUCTORI.

Sæpe mecum sum miratus, quid pertinaces illæ & in mul-
 tam noctem protractæ vigiliæ Tuæ, Eruditissime Domi-
 ne, portenderent. Jam vero comporio, Te elucubrasse
 elegantissimum specimen Academicum, atque ope Historia &
 Philosophiaæ Practicæ, in quibus disciplinis Tuas ponis delici-
 as, solvisse nodum, quem insolutum hactenus reliquerant Philo-
 sophi. Ego, qui Tuis curis studiorum meorum quotidiana debeo
 incrementa, non possum, quin TIBI gratuler præclaros in variis
 Scientiis profectus, simusque prolixiori quidem animi adfatu,
 quam verborum apparatu præmia TIBI appreces lautissima.

TUI

obſervantissimus
HENR. GUST. IDMAN,

V E I D E M.
 Virtutem celebras, veræ Virtutis alumne,
 Concedat Virtus præmia digna TIBI

C. SEDEEN.